

*non habetis; hoc intelligebam: si propter inopiam in egestate estis, pecuniam non habetis; et idcirco concedebam. Quum autem hoc sumebas: Indigetis autem pecuniae; illud accipiebam: Vultis autem pecuniae plus habere. Ex quibus concessionibus non conficitur hoc: Pauperes igitur estis: conficeretur autem, si tibi primo quoque hoc concessissem: Qui pecuniam majorem vellet habere, eum pecuniam non habere. Saepe autem oblitum putant, quid concesseris, et idcirco id, quod non conficitur, quasi conficiatur, in conclusione infertur, hoc modo: Si ad illum hereditas veniebat, veri simile est, ab illo esse necatum. Deinde hoc approbant plurimis verbis. Post assumunt: Ad illum autem hereditas veniebat. Deinde infertur: ille igitur occidit. Id quod ex iis, quae sumserant, non conficitur. Quare observare diligenter oportet, et quid sumatur, et quid ex his conficiatur.*

Cap. XLIX. *Ipsum autem genus argumentationis, vitiosum his de causis ostendetur, si aut in ipso vitium erit, aut si non ad id, quod instituitur, accommodabitur. Atque in ipso vitium erit, si omnino totum falsum erit, si commune, si vulgare, si leve, si remotum, si mala definitio, si controversum, si perspicuum, si non concessum, si turpe, si offensum, si contrarium, si inconstans, si adversum. Falsum est, in quo perspicue mendacium est, hoc modo. Non potest esse sapiens, qui pecuniam negligit. Socrates autem pecuniam negligebat. Non igitur sapiens erat. Commune est, quod nihilo magis ab adversariis, quam a nobis facit, hoc modo: Idcirco, judices, qua veram causam habebam, brevi peroravi. Vulgare est, quod in aliam quoque rem non probabilem, si nunc concessum sit, transferri possit, hoc modo: Si veram causam non haberet, vobis se, judices, non commisisset. Leve est, quod aut post tempus dicitur, hoc modo: Si in mentem venisset, non commisisset: aut si perspicue rem turpem levi tegere vult defensione, hoc modo:*